



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Quid Episcopis potissimum curandum sit. 17

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

conis Nostris (ut par est) consilio, quoad ejus fieri poterit, corrigere.

CAP. XIV. *Omnes, qui de Beneficiis disponunt, sui Officii admonendi.*

REfferre etiam non parum existimamus, omnes, qui de Sacerdotiis seu Beneficiis Ecclesiasticis quamcunque disponendi potestatem habent, speciatim ac diligenter admoneri, ut hisce Synodicis Canonibus per omnia obtemperent, nisi in eo ipso, in quo deliquerint, puniri velint.

CAP. XV. *Moderatio, Patronos Laicos respiciens.*

Atamen, quod ad Patronos Laicos attinet, hanc censuram eatenus moderamur, ut, si Archidiaconi Nostris presentatos ab eis, quod in idonei sint, instituere reculent, liceat ipsis, inutilium loco, alios iterum intra tempus legitimum presentare, modo tamen dolus absit.

CAP. XVI. *De officio Vicariorum in Pontificalibus.*

Postquam de illorum officio diximus, qui Sacerdotiis seu Beneficiis Rectores admovent, Ecclesiasticis Ordinibus initiandos; restat, ut de Vicariis Nostris in Pontificalibus, qui huic muneri (in partem sollicitudinis Nostræ vocati) potissimum delegati sunt, paucis dicamus. Nobis quidem, uti cæteris omnibus Pontificibus, in Aaronis persona loquutus est Deus: Homo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo vel grandi vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem in corpore, vel herniosus: omnis qui habuerit maculam, non accedat offerre hostias Domino, nec panes Deo suo. Quid per allegoriam sermo divinus significare voluerit, maximus ille cælestium rerum peruestigator Paulus, in Epistolis, quas Timotheo ac Tito, ambobus nascentis Ecclesiæ Episcopis, inscripsit, gravissime explicavit. Quum enim mandasset, ut per Civitates Presbyteri constituerentur, statim subjecit, quales substitui vellet & oporteret. Oportet (inquit) constitutum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Diaconos similiter, pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe

Levit. 21.

Tit. 1.

1 Tim. 3.

lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et, ut iterum nos officii nostri commonefaceret, subjecit: Et hi probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.

CAP. XVII. *Quid Episcopis potissimum curandum sit.*

Incumbit itaque Nobis, ut probemus primum eos, qui Ordinibus, maxime sacris, initiari desiderant. Curæ ergo erit Vicariis Nostris in Pontificalibus, manus impositionem auspicaturis, ne hic quid desit, neve Ordines sacros aliter quam secundum regulam Evangelicam impartiantur. Ut adjutores in hoc examinationis munere habeant, non repugnemus; modo primæ sollicitudinis partes apud eos sint, nec, quæ ipsis ante omnia agenda erant, in alios penitus relegent, interim ipsi de omnibus incerti: per hæc tamen Suffraganeis Nostris nihil præjudicantes, quo minus ipsi, quemadmodum videbitur opportunum, de hujusmodi examine faciendo dispiciant. Ut vero summatis multa complectamur, dispicient de Ordinandorum ætate, vita, scientia & affectu.

CAP. XVIII. *De ætate Ordinandorum.*

Olim Diaconus ante xxv, Presbyter vero ante xxx ætatis annos, non ordinabatur. In Viennensi vero Concilio, sub Clemente quinto, Ordines sacri minori etiam ætati concessi sunt; nempe Subdiaconatus xviii, Diaconatus xx, Presbyteratus denique xxv ætatis annum nato. Num ad antiquos Canones regredi referat, futurum Concilium despiciet. Nos interim admonemus, Viennense Concilium, tum ex aliis Canonibus, tum ex seipso interpretandum: nimirum ut ætas quidem illa sufficiat, modo tamen cætera quoque, quæ Canones plus quam ætatem respiciunt, haud desint; nempe literarum scientia, & morum gravitas.

CAP. XIX. *Testimonium vitæ ac doctrinæ, per initiandos sacris, exhibendum.*

DE doctrina, vitæ, ac moribus, Suffraganeus Noster testimonium præceptorum, qui ipsos in literis instituerunt docueruntque, eorum quoque apud quos, sacris initiandus, potioris vitæ partem transiit ac diversatus est, exigere non omittet, ne manifeste criminosi irrepant; idque ad certam formulam, quam delineari curabimus. Dum enim priscam Ecclesiam respicimus, summo desiderio tangimur, priscos illos sanctissimos mores, non tantum verbis sed & re ipsa, in Ecclesiam, quod

Ex Conc. Arelat. 3.
Ex Viennensi Concilio.
Clem. generalium de a. & g. qualitat.
Ex eodem Concilio.
Clem. eodem titulo.
Ex Lateran.

Ex 3. Caribuz.
quod